



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

De iniurijs accusantium Christum. Theo. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

sum erat illis, Iesum audisse & morte dignum iudicasse, admonebat vt perfecterent quoq; in eum quod statuissent: ipse neminem foret damnaturus cuius non ante cognouisset causam. Ided accipite (inquit) eum vos, & iudicate. Si postestatem habetis audiendi, iudicandi, damnandiq; exequamini etiam quod iudicatis sumendo supplicium. Arguebat profecto eos presumptionis, temeritatis, arrogantiae atq; inuidiae, idq; quasi ironice & ex obliquo dicendo: Vos pontifices, quibus ex officij dignitate adharet sanctitas: vos pharisaei, quorum tanta est autoritas in opinione vulgi propter religionem vestram: vos deniq; scribae & legisperiti, qui diuinae legis scientiam habetis, & alios docetis: vos quoq; Saducaei, quibus propter zelum iustitiae tam grandis inest seueritas: vos tandem septuaginta senes & iudices populi, qui ex Mosis, imo ex diuino instituto super alios iudicandi accepistis potestatem, vtpote ij in quibus est spiritus Dei: vos inquam omnes hanc habetis autoritatem, hominem non auditum iudicare, velut ij qui nequeant hallucinari. Nos vero Romani nihil horum praesumimus. Vos secundum scripturas vestras dii estis, qui secreta cordium & arcana perspiciunt. Nos vero qui homines sumus deceptibiles, ided perquirimus & informari in iudicando contendimus. Ceterum interea contempletur anima deuota, quam vilis aestimetur is, quamq; facinorosus (ad quem nihil sunt, caelum, terra & cuncta quae illis continentur) a pessima Iudaeorum gente: quam deniq; cupiant legisperiti ab omnibus illum vilem, iniquum atq; facinorosum haberi, vt moliantur credantq; eum sine discussione, sine iudicio, sine audientia causae damnandum & interficiendum. Magna fuit haec iniuria, magnus contemptus in Dei filium. Nam si immodica contumelia erat, eundem innocentissimum qui peccare non poterat, ante iudicem sistere, inique accusare: maior tamen fuit iniuria, aded flagitiosum decernere ac velle haberi, vt citra iudicij formam sine quaestione vlla foret interficiendus. Verum hoc iudicium iniquorum Christus subire, & velut qui se purgare nequiret, tacere ad omnia voluit: vt nos in iusto ipsius iudicio non confundamur, vbi non poterimus vnum respondere pro mille: nec pro minima parte vitae nostrae rationem reddere.

Joan. 18.
Teme-
ritas
praesumptioq;
Iudaeorum
quanta.

Numer. 11.

P salm. 31.

Iniuria con-
temptusq;
Christo co-
ram Pilato
quanta ir-
rogata.
Iudicium ini-
quorum cur
Christus
subire vo-
luerit.

Precatio pro linguae continentia.

Domine Iesu Christe benignissime, qui propter nos ante iudices ad omnes obiurgationes accusationesq; iniquas tacuisti, da nobis linguae continentiam, vt ab omni murmuratione, ab omni contentione & dissolutione, ab omni deniq; verbo aut vitioso aut ocioso liberati atque immunes, in silentio sancto cordis & oris, in mansuetudine ac vera pace cordis tibi semper placeamus, qui es benedictus ante saecula, Amen.

DE INIURIIS ACCVSANTIVM CHRISTVM.
Theorema XIV.

ARGVMENTVM.

Innocentia, virtus, illeq; qui peccare non potest, cui soli peccant
I quicunque peccant, hic peccatorum ceu reus accusatur.

IESV